



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De alijs Causis faciendi divortium ad tempus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS III.

De aliis causis faciendi divortium ad tempus.

- I. *Quanam sint causa faciendi divortium ad tempus?*
- II. *Hæresis alterius conjugis non dat causam faciendi divortium perpetuum, (sicut dat adulterium) sed solum ad tempus; Nisi tamen publice ille sit ab Ecclesia damnatus.*
- III. *Si maritus ad scelus nefandum pertrahat uxorem, & nolit corrigi, hæc potest divertere.*
- IV. *Sicut etiam si uxor saepe, & atrociter a marito percutiatur.*
- V. *Uxor venesica, quæ consilio demonis nititur, dimitti potest.*
- VI. *Votum castitatis a conjugē de alterius consensu emissum dat causam diverendi, si remittatur obligatio reddendi debitum.*
- VII. *Post divortium filii sequuntur conjugem innocentem.*
- VIII. *Cujus autem expensis alendi sint filii? Iis est inter Doctores, si culpa matris divortium factum sit. Si autem culpa Patris id contigerit, ejus expensis apud matrem alendi sunt. Quod si ex mutuo consensu divortium fiat, proles triennio minor expensis matris educanda est, deinde expensis Patris.*

I. **P**RÆTER adulterium, quod dat causam faciendi divortium in perpetuum, dantur aliæ causæ faciendi divortium ad tempus, hoc est quousque causæ illæ perseverent.

Quæritur itaque; Quanam sint istæ aliæ causæ?

Respondeo, universim quoties unus non potest cum altero conjugē cohabitare sine gravi periculo animæ, aut corporis, quod merito virum constantem terreat, potest ad tempus ab

eo divertere, quousque periculum durat. Ratio est, quia non tenentur cum tanto incommodo hæc obligationibus satisfacere; Quod patet ex cap. *Ex transmissa*, & ex cap. *Lituras*, de restitutione Spoliatorum.

Neque dicas, ob solam causam fornicationis a Christo Domino permitti divortium. Nam in casu nostro divortium ad tempus fit, non delerendo uxorem, sed fugiendo proprium malum; quod non est contra Christi Domini præceptum;

Hinc prima causa divortii est Lapsus unius in hæresim, vel infidelitatem. Ratio est, quia hæresis est quædam fornicatio spiritualis, ex cap. *Idololatria*, de divortiiis; quando tamen ille convertitur, debet cum innocente conjungi, cum cesset causa diverendi; non enim hæresis est fornicatio proprie dicta, quæ unice ex lege Christi Domini dat causam faciendi divortium in perpetuum.

II. Excipe tamen, si conjux in hæresim lapsus judicio Ecclesiæ sit separatus, aut condemnatus; tunc enim conjux innocens etiam emendatum non tenetur recipere, ut notat Conatum in pœnam hæresis; tunc etiam quia ob perpetuam illius infamiam grave esset, & quodammodo infame conjugii innocenti conjungi cum illo.

III. Secunda causa est, quando unus nititur alterum pertrahere ad peccatum; tunc enim si præmissa correctione adhuc ille persistat, potest hic secluso scandalo divertere: Immo tenetur, si commode potest, quando probabiliter timet, quod sit consenturus. Hinc si maritus vult uti uxore sodomitice, potest hæc petere divortium, ex cap. *Omnes causationes* 32. *quæst.* 7.; etenim a tali nefando scelere natura ipsa abhorret. Notat tamen Sanch. lib. 10. disp. 4. id esse verum, si sodomia sit consummata, & vix corrigi nolit.

IV.

IV. Tertia est savities alterius conjugis, ob quam timet alter sibi mortem, aut graves plagas esse inferendas, non tamen si moderatam castigationem timeret. Hinc potest divertere conjux, si alter tentavit illum occidere, ut notat Sanch.; vel si maritus percutiat saepe, & atrociter uxorem.

Quarta, si alter fiat omnino furiosus, aut gravi, & contagioso morbo laboret; nam in his casibus alteri ex cohabitatione grave periculum imminet; secus tamen si ille fieret solum stultus, aut contraheret gravem morbum non contagiosum; nam in tali casu cum possit sanus sine suo periculo illi cohabitare, ejusque curam gerere, ad id tenetur.

V. Quinta, quando delictum unius potest esse alteri conjugi causa gravis damni; ut quando uxor est venefica, interficiens filios, aut si consilio daemone utatur.

VI. Sexta demum est votum castitatis communi consensu emissum; in quo casu possunt conjuges separari quoad torum, ne exponant se periculo violandi votum castitatis emissum; dummodo tamen remiserint sibi obligationem reddendi debitum: Immo possunt ambo Religionem ingredi; ut

notant Bonac., Henr., & alii.

VII. Rogabis demum; Quemnam conjugem sequantur filii post divortium?

Respondeo, ex jure civili sequi debere partem innocentem, ut notant Sanch. & Bonac. Ratio est, quia potior videtur conditio innocentis. Excipe tamen, nisi innocens sit infidelis; tunc enim in favorem fidei, ne proles in Infidelitate procreetur, tradenda est conjugi fidei, ex *cap. final. de conversione Infidelium*.

VIII. Majus dubium est, A quonam sint alendi? Certum est, quod si divortium fiat mutuo consensu, proles triennio minor educanda sit expensis matris; triennio vero major expensis Patris. Quod si ex Patris culpa divortium contingat, soboles, etiam si sit triennio minor, educanda est apud Matrem expensis Patris, ex *leg. 3. Regia tit. 19. part. 4*. Si demum ex Matris culpa divortium factum est, magna lis est apud Doctores; qua in re consuli potest Sanch. lib. 10. disp. 20., Rodrig., Menoch. consil. 853., aliique: Satis nobis sit, id innuisse ad complementum tractatus; cui dandus est (sed oh ubi Aeternitatis!)

F I N I S.

A. M. D. G., & B. V.

Sine labe Conceptæ.

SYN.